



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 75. Maximiliani Ducis expeditio in Superiorem Austriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII. Ulma versus Palatinatum inferiorem
 A. C. 1620. reduxit, ut Spinolæ progressibus obsta-
 ret, Bavarus vero cum suo exercitu,
 in Provinciam Austriacam supra Ana-
 sim, secundo Danubii flumine ex Cæ-
 saris mandato movit.

§. LXXV.

*Maximiliani Ducis expeditio in supe-
riorem Austriam.*

Lotich. l. 5. cap. II.
Ober und Nieder : De streich Jour- nal Merc. Gallob. tom. 9. lib. I. Carafa Germ. rest.
 ENIMVERO hac pace inter Catholicos, & Germaniæ Principes Protestan-
 tes firmata, Ludovicus Franciæ Rex rebus suis haud parum consuluerat; verebatur enim, ne Fridericus Palati-
 nus novi Regni accessione potentior fa-
 ctus, denuo, ut olim, Hugonotarum res in Galliis fulciret, quos tamen ad bellum paratos in ordinem redigere pro-
 pediem meditabatur: nihilominus ejus-
 dem Regis conatus magna sui commen-
 datione haud fraudandus erat, eo quod pacata nonnihil superiore Germania, tota belli moles Bohemis utpote præ-
 cipuis omnium calamitatum Authori-
 bus incumbere inciperet, & Protestan-
 tibus Germanis Bohemorum defensionem abdicantibus, Friderici partes haud parum debilitarentur, Cæsar e-
 contra rebelles Austriacos compescere posset, iisque debellatis via in Bohe-
 miam

miam expeditior esset. Nil igitur cun-
ctandum ratus Ferdinandus Imperator,
Maximiliano Bavariæ Duci negotium
dedit, ut Austriam citeriorem versus
illico signa converteret, ne Anassini,
gens alioqui ferox, & inquieta, armis
suis Mansfeldio junctis, Bavariam,
Austriam, & Imperium inundarent.
Maximilianus igitur Cæsareis jussis ob-
temperaturus, mox cum quinquies
mille quingentis Equitibus, & peditum
viginti quatuor millibus, & quingentis
die decima tertia Julii Dilinga Höch-
stadium contendit, ibidemque salutata
Palatina Principe Vidua, Neoburgum
profectus, a Wolfgango Guilielmo Du-
ce Neoburgico perhonorifice exceptus
est, navis beneficio Passavium delatus:
itinere dein terrestri Scherdingam Ba-
variæ oppidum pervenit, ubi die deci-
ma septima duo Principes Lotharingici
Carolus & Elbovius, necnon Teschæ
Princeps Silesita, & Virginus Ursinus
Nobilis Romanus ad Bavariæ Ducem
venerant, sub ejus imperio belli rudi-
menta posituri. Eodem die per Sigma-
rium Centurionem Maximiliano nun-
tiatum, quod Anassinæ Provinciæ ru-
fici, de Boici exercitus adventu cer-
tiores facti, ad arma profiliissent, ut-
que fines suos, donec a Bohemia sup-
petias acciperent, tuerentur, arcem

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII. Starenbergicam, & Hagenum oppidum
 A. C. 1620. ejectis omnibus Catholicis occupassent,
 & Hungari quoque, qui in opem Bo-
 hemis missi erant, die duodecima Julii
 excursione Suolchinum versus facta,
 oppidum, præliario Cæsaris milite
 trucidato, deprædati fuissent, indeque
 Budivitium excurrentes, pecora abe-
 gissent, fuis ad Crumaviam quingua-
 ginta Cæsareis Equitibus.

§. LXXVI.

*Austriæ Inferioris Ordinum Legatus
 ad Maximilianum Bavaricæ
 Ducem decretus.*

Barre Hist. d' Allemagn. tom. 9. Hisce violentiis commotus Bavaricæ
 Dux, jamjam admoto milite ultio-
Theatr. Hist. pag. 767. nem parabat, cum Superioris Austriæ
Caraf. p. 83. Ordines die decima nona Julii eundem
Brachel. pag. 22. Sigmarium Centurionem ad Maximilia-
Jæger. Hist. Eccl. p. 318. num ablegarent, sciscitatum, quo hæc
le Blanc. Hist. de Bav. p. 95. „Ducis expeditio spectaret, cum ipsi
 „nil hostile unquam contra Bavariam
 „meditati essent, proin exercitum suum
 „ab Austriæ finibus amoveret, ne novi
 „orirentur tumultus, sicut nuper rustici
 „ad Boici exercitus rumorem in arma
 „coivissent, mox tamen ab Ordinibus
 „a proposito revocati. „ Ad hæc re-
 spondit Dux Centurioni, se proxime Le-
 gatos suos ad Austriæ Proceres Lincii
 con-